

Sicut olim 28, De accusat., ac tenent Suarez... Sanchez... etc. Reiffenstuel, ad tit. ex. De constitution., § 4, n. 74.

ARTICULUS IV.

Lex quoad ea quæ concernunt intentionem, modum, et tempus eam adimplendi.

SUMMARIUM.

1. In executione operis a lege præcepti duplex potest haberi intentio: una scilicet præstandi opus, quod præcipitur, et alia satisfaciendi legi, seu præcepto per tale opus. — 2. Ad impletionem legis, seu præcepti non requiritur intentio ei satisfaciendi. — 3. Hinc si quis die festo, missam audiat, immemor esse diem festum, is nihilominus satisfacit præcepto, neque necesse est, ut postea intelligens esse diem festum, velit tunc satisfacere per missam jam auditam. — 4. Quamvis autem ad satisfaciendum legi, seu præcepto non requiritur intentio satisfaciendi ipsi legi, seu præcepto, requiritur tamen intentio præstandi opus, quod præcipitur. — 5. Hinc, si quis, curiositatis gratia, aut sine inveniendi amici, intret in ecclesiam nihil cogitans de missa, quæ interim celebratur, is non satisfacit præcepto audiendi missam. — 6. Legi, seu præcepto satisfacit, qui faciens opus præceptum, expresse intendit per illud non satisfacere. — 7. Affertur, et solvitur instantia. — 8. Hinc licet quis die festo, missam attente audiens, habeat expressam intentionem tunc non satisfaciendi præcepto Ecclesiæ, sed aliam missam postea audiendi, is nihilominus satisfacit, ita ut non teneatur postmodum aliam audire. — 9. Item qui recitavit officium divinum non ex devotione, seu attentione qua voluisset, et ideo proposuit repetere ad satisfaciendum præcepto, is non tenetur repetere. — 10. Item qui missam audivit, divinum officium recitavit, poenitentiam sacramentalem peregit, et alia hujusmodi, cum expresso animo non satisfaciendi, non tenetur postea mutare voluntatem, ut velit per præcedens opus satisfacisse. — 11. Leges et præcepta impleri possunt sine charitate, seu gratia sanctificante. — 12. Quinimo potest etiam satisfieri legi, seu præcepto per actionem, ex fine, vel circumstantia extrinsece malam, seu vitiatam. — 13. Hinc si quis jejundet, vel intersit missæ ob vanam gloriam, vel etiam, ut furetur, vel ob alium pravum finem, potest nihilominus implere præceptum etiam per tales, et similes actus, ex fine, seu circumstantia peccaminosos. Ipse tamen peccat contra aliud præceptum, cui finis ille malus opponitur. — 14. Item sacerdos, qui missam celebrat in statu peccati mortalis, satisfacit et suæ obligationi, et præcepto audiendi missam die festo, non obstante, quod gravissime peccet. — 15. Item adimpletur votum, juramentum Deo factum, poenitentia sacramentalis, et hujusmodi, quamvis actus, per quem adimpletur, sit malus, et peccetur contra aliud præceptum, cui actus ille malus opponitur. — 16. Nec valet objicere, quod adimplens legem, seu præceptum per actum peccaminosum, non adimpleat modum, ac finem præcepti; quia respondetur, quod modus, et finis non cadit sub præcepto, nisi sit de intrinseca ratione actus præcepti; seu in aliqua lege, vel præcepto sit specialiter, et expresse requisitus. — 17. Si autem modus, et finis sit de intrinseca ratione actus præcepti, seu in aliqua lege, vel præcepto sit specialiter, et expresse requisitus, nequit utique adimpleri præceptum, non adimpleto modo, ac fine, et affertur exemplum de sacrilega communione. — 18. Sic autem si quis dormiens die festo assistat missæ, non satisfacit præcepto ecclesiæ. — 19. Leges, seu præcepta, quamvis sine charitate, seu gratia sanctificante possint adimpleri satisfactorie, non tamen sine charitate, et gratia sanctificante possunt adimpleri meritorie. — 20. Potest

eodem tempore satisfieri pluribus legibus, et præceptis per diversos actus, quando unus actus non impedit alium debite exercendum. — 21. Hinc, qui die festo, audiendo missam, recitat Horas canonicas, satisfacit eodem tempore præcepto audiendi missam, et præcepto recitandi Horas canonicas. — 22. Item satisfacit præcepto, qui tempore missæ conscientiam suam examinat, elicit actus doloris, vel aliis piis actionibus se præparat ad confessionem. — 23. An autem, qui per notabilem partem missæ confitetur sua peccata, satisfaciat præcepto audiendi missam? remissive. — 24. Unico, et eodem actu potest satisfieri pluribus legibus, seu præceptis, extra tamen materiam justitiæ, et nisi aliud colligatur ex mente legislatoris, seu præcipiens. — 25. Hinc qui obligatur ad recitandas Horas canonicas ratione ordinis sacri, simulque beneficii ecclesiastici, satisfacit unica recitatione. — 26. Item qui tenetur jejunare ex voto die Veneris, si tali die currant quatuor anni tempora, et vigilia alicujus sancti, unico jejunio satisfacit tribus obligationibus. — 27. Item quando festum alicujus sancti incidit in Dominica, satisfiit duplici præcepto auditione unius solius missæ. — 28. Quando tamen sunt plures obligationes justitiæ, iis satisfieri non potest unico actu. — 29. Item quando circumstantiæ, seu verba legis denotant, legislatorem velle exigere actum non debitum, non potest satisfieri actu alias debito. — 30. Hinc si confessarius injungat poenitenti Rosarium pro poenitentia, et talis poenitens sit voto obstrictus ad Rosarium recitandum quotidie, poenitens non satisfacit præcepto confessarii per recitationem Rosarii debitam ex voto: nisi confessarius oppositum exprimat, vel aliunde colligi possit. — 31. Item si confessarius pro poenitentia injungat auditionem missæ, nisi oppositum exprimat, vel aliunde colligi possit, censetur velle obligare poenitentem ad aliam auditionem missæ ab ea, quam die festo audire tenetur. — 32. Secus autem esset, si confessarius injungeret pro poenitentia auditionem quotidianam missæ pro uno mense, pro uno anno, et hujusmodi. — 33. Nullatenus potest unica numerice recitatione divini officii satisfieri duplici præcepto, v. g. pro die præseuti, et pro die crastino.

(1. In executione operis a lege præcepti, duplex potest haberi intentio: una scilicet præstandi opus, quod præcipitur, et alia satisfaciendi legi, seu præcepto per tale opus. *Communis*. (2. Ad impletionem legis, seu præcepti non requiritur intentio ei satisfaciendi; Vasquez 1, 2, q. 100, art. 9, Sanchez, lib. 1 *Decal.*, c. 13, n. 9; Herincx, disp. 3, *De legibus*, n. 80; Reiffenstuel, *Theol. moral.*, tract. 2, *De legibus*, dist. 3, quæst. 5, n. 45, et alii communiter. Et ratio est, quia lex humana præcipit solam liberam, seu voluntariam operis externi executionem v. g. auditionem missæ; non autem quasi reflexam implendi præcepti intentionem, seu ut alio peculiari actu quis velit, vel intendat præcepto satisfacere. (3. Hinc infertur, quod si quis die festo missam audiat, immemor esse diem festum, is nihilominus satisfaciat præcepto; neque necesse est, ut postea intelligens esse diem festum, velit tunc satisfacere per missam jam auditam, quia implevit substantiam actus præcepti. *Communis*.

(4. Quamvis autem ad satisfaciendum legi, seu præcepto non requiratur, ex dictis, intentio satisfaciendi ipsi legi, seu præcepto, requiritur tamen intentio præstandi opus, quod præcipitur. Sanch., lib. 1. *Decal.*, cap.

13, n. 2; Bonacina, *De legibus*, disp. 1, q. 1, punct. 10, n. 2; Reiffenstuel, l. c. n. 44, et alii passim. Et ratio est, quia opera præcepta debent præstari modo humano; non præstantur autem humano modo, nisi adsint voluntas, et intentio ea præstandi, adeoque, etc. (5. Hinc infertur, quod si quis curiositatis gratia, aut sine inveniendi amici, et alio hujusmodi fine intret in ecclesiam, nihil cogitans de missa audienda, quæ interim celebratur, is non satisfacit præcepto audiendi missam, quia cum non habuerit intentionem et animum ipsam audiendi, non censetur eam audivisse. Item si quis recitet Horas canonicas solo fine et animo legendi, vel discendi, non satisfacit præcepto divini officii persolvendi, quia ad id requiritur intentio saltem recitandi Horas canonicas, seu orandi. Sic doctores citati, et alii communiter.

(6. Legi, seu præcepto satisfacit, qui faciens opus præceptum, expresse intendit per illud non satisfacere. Sanchez lib. 1 *Moral.*, cap. 13, n. 9 et 12; Lessius lib. 11, c. 7, dubit. 10; Suarez, lib. 11, *De legibus*, lib. *De horis*, c. 26, et in part. tom. III, disp. 88, sect. 3. Valentia, tom. III, disp. 6, qu. 10, in fine; Reiffenstuel, l. c. n. 46; Vasquez, 1, 2, q. 100, art. 9; Busemb., lib. 1 *De legibus*, tract. 2, c. 3, dub. 3, n. 693; La Croix, *ibid.*; Laymann, *Theolog. moral.*, lib. 1, tr. 4, c. 4, n. 7, et alii plures contra Navar. *De orat.*, c. 16, n. 73; Azor., tom. I, lib. VII, c. 2, q. 16, et alios. Et ratio est, quia leges et præcepta obligant solum ad substantiam operis injuncti, adeoque, illa posita, satisfiit legi, etiam contra expressam intentionem operantis, cum non sit amplius in potestate operantis, ut non satisfaciat. (7. Nec valet objicere quod actus non operetur ultra intentionem agentis, l. *Non omnis* 19. ff. *De rebus creditis*: quia id debet intelligi, quando est in potestate operantis, v. g. satisfacere, vel non. Nec item valet dicere, quod sicuti voto obligatus ad faciendam elemosynam, si illam faciat animo non adimplendi, non satisfacit; ita a pari, in casu legis adimplendæ cum animo illam non adimplendi, non satisfacit; non valet, inquam, quia in tantum obligatus voto ad faciendam elemosynam, si illam faciat animo non adimplendi, non satisfacit, quia talis et similis obligatio provenit ex voluntate promittentis, qui sicut ab initio debitorem se libere constituit, sic indebito libere permanere potest; obligatio autem parendi legi provenit ex voluntate legislatoris, ideoque non exenditur ultra ejus intentionem et voluntatem, nempe ultra substantiam operis præcepti, quæ posita non est in potestate operantis, nolle per ipsam satisfacere, quia cum legislator hoc solum præceperit, ut opus humano modo impleatur, eo opere præstito, exstinguitur statim obligatio independentem ab intentione satisfaciendi operantis. Busemb. *loc. cit.*, n. 693; Coninch., n. 309; Laym., *loc. cit.*, n. 7. Lessius *loc. cit.*, et alii. *Vid. verb. Missa*, art. 17, n. 11 et 12.

(8. Hinc infertur quod licet quis die festo missam attente audiens, habeat expressam intentionem tunc non satisfaciendi præcepto Ecclesiæ, sed aliam missam postea audiendi, is nihilominus satisfacit, ita ut non teneatur postmodum aliam audire. (9. Item, qui recitavit divinum officium, vel partem ejus, non ea devotione et attentione qua voluisset, et ideo proposuit repetere ad satisfaciendum præcepto, non tenetur repetere, quia per illam primam recitationem satisfecit præcepto. (10. Item, qui die festo missam audivit, divinum officium recitavit, poenitentiam sacramentalem peregit, et alia hujusmodi cum expresso animo non satisfaciendi, non tenetur postea mutare voluntatem, ut velit per præcedens opus satisfacisse, quia vere satisfecit. Lugo *De Eucharistia*, disput. 22, sect. 2, n. 12; Salas, d. 9, n. 33; Busemb., *loc. cit.*, Sanch., et aliisupra citati.

(11. Leges et præcepta impleri possunt sine charitate, seu gratia sanctificante. *Communis*. Et ratio est, quia præcipitur solum substantia actus inclusi in præcepto, non autem modus præcepti; æque enim adimplet legem, qui eam observat in peccato, ac qui eam observat, in gratia; quis enim diceret, quod non satisfaciat præcepto audiendi missam, præcepto jejunandi, præcepto honorandi parentes, et hujusmodi, qui talia, et similia præcepta exsequatur existens in peccato? Unde falsissimum est, charitatem esse necessariam ad implenda omnia præcepta, ut perperam docuerunt Baius, Jansenius, et alii, et ideo a S. Pio V, die 1 Octob. 1567, const. incip. *Ex omnibus*, a Gregorio XIII, die 29 Januarii 1579, constit. incip. *Provisionis nostræ*, et ab Urbano VIII, die 6 Martii 1641, constitut. incip. *In eminenti* inter 79 propositiones Michaelis Baii, et aliorum, merito damnata fuit sequens propositio in ordine 16. *Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate*.

(12. Quinimo potest etiam satisfieri legi, seu præcepto per actionem ex fine, vel circumstantia extrinsece malam et vitiatam. Sanch., lib. 1 *Moral.*, c. 14. Layman, l. 1, tract. 4, c. 4, n. 6; Lugo, disp. 22, sect. 2, n. 23; Reiffenst., *loc. cit.*, num. 43, et alii communiter apud Mastrium, *Theol. moral.*, disp. 2, q. 5, num. 169. Et ratio est, quia lex præcipit tantum substantiam actionis ex objecto suo honestæ: non autem finem, vel circumstantias, adeoque potest quis, ponendo substantiam legis, seu præcepti, satisfacere ipsi legi, seu præcepto; etiam per actionem ex fine, vel circumstantia extrinsece malam et vitiatam, quamvis peccet pro ratione pravi finis aut circumstantiæ malæ. (13. Hinc infertur, quod si quis jejundet, vel intersit missæ ob vanam gloriam, vel etiam ut furetur, vel ob alium pravum finem, potest nihilominus implere præceptum, etiam per tales et similes actus ex fine seu circumstantia peccaminosos, quia implet substantiam illius præcepti, licet peccet contra aliud, cui finis ille malus opponitur. (14. Item sacerdos, qui missam

celebrat in statu peccati mortalis, satisfacit, et suæ obligationi, et præcepto audiendi missam die festo, non obstante quod gravissime peccet; ponendo enim actum præceptum, jam adimplet, quod ei erat injunctum, et consequenter satisfacit etiam præcepto. (15. Item adimpletur votum, juramentum Deo factum, penitentia sacramentalis, et hujusmodi, quamvis actus per quem adimpletur, sit malus, et peccetur contra aliud præceptum, cui actus ille malus opponitur. *Omnes citati doctores, et alii passim.*

(16. Nec valet objicere, quod adimplens legem, seu præceptum per actum peccaminosum, non adimpleat modum, ac finem præcepti, qui est honorare Deum per actum præceptum; non valet, inquam, quia modus et finis non cadit sub præcepto, nisi sit de intrinseca ratione actus præcepti; sive in aliqua lege, vel præcepto sit specialiter et expresse requisitus. Sic communis doctorum sententia. (17. Si autem modus et finis sit de intrinseca ratione actus præcepti, seu in aliqua lege, vel præcepto sit specialiter et expresse requisitus, nequit utique adimpleri præceptum, non adimpleto modo, ac fine; sic sacrilege confitens, non satisfacit præcepto annualis confessionis, et sacrilege communicans, non satisfacit præcepto paschalis communionis; quia ad sacramentum penitentiae necessario requiritur dolor de peccatis commissis, propositum de cætero non peccandi, et confessio omnium peccatorum; finis enim talis præcepti est, ut peccatores per tale sacramentum remittantur in Dei gratiam, sicuti finis, et modus recipiendi sacramentum communionem est, ut recipiatur in statu gratiae, et gratia per ipsam in communicante augeatur; unde merito ab Alexandro VII, die 24 Septembris 1663, inter alias fuit damnata sequens propositio 14 in ordine: « Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiae: » et ab Innocentio XI, die 2 Martii 1679, merito inter alias fuit damnata sequens propositio 55 in ordine: « Præcepto communionis satisficit per sacrilegam corporis Domini manducationem. » (18. Sic etiam, si quis dormiens die festo, assistat missæ, non satisfacit præcepto Ecclesiae, quia de intrinseca ratione præcepti audiendi missam die festo est, ut quis ei assistat modo humano seu cum advertentia rationis, quod a dormiente non fit, adeoque, etc. Et sic dicendum est de similibus.

(19. Leges, seu præcepta, quamvis sine charitate, seu gratia sanctificante possint adimpleri satisfactorie, id est ipsis satisfieri, non tamen sine charitate, et gratia sanctificante possunt adimpleri meritorie, id est per talem impletionem præmium mereri. *Communis. argum., Epist. I ad Corinth. c. XIII, n. 1, ibi: Si linguis hominum loquar, et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans, aut cymbalum tinniens; et infra n. 3: Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, cha-*

ritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.

(20. Potest eodem tempore satisfieri pluribus legibus, et præceptis per diversos actus, quando unus actus non impedit alium debite exercendum. *Communis.* Et ratio est, quia qui facit id, quod lege, vel præcepto præscribitur, legi, vel præcepto satisfacit: sed potest quis eodem tempore facere quod præscribunt diversæ leges, seu diversa præcepta; ergo potest quis eodem tempore satisfacere pluribus legibus, vel præceptis, quoties unus actus non impedit alium debite exercendum. (21. Hinc inferatur quod, qui die festo audiendo missam, recitat Horas canonicas, aliasve preces obligatorias, satisfacit eodem tempore præcepto audiendi missam, et præcepto recitandi Horas canonicas, seu obligationi recitandi alias preces aliunde debitas, quia recitatio Horarum, seu aliarum precum non impedit attentionem requisitam ad missam. *Communis.* (22. Item satisfacit præcepto, qui tempore missæ conscientiam suam examinat, elicit actus doloris, vel aliis piis actionibus se præparat ad confessionem, quia istæ actiones non impediunt attentionem requisitam ad missam. *Communis.* (23. An autem ille qui per notabilem partem missæ confitetur sua peccata, satisfaciat præcepto audiendi missam. *Vid. verb. Missa art. 17, n. 27, ubi alia ad rem per totum articulum.*

(24. Unico, et eodem actu potest satisfieri pluribus legibus, seu præceptis, extra tamen materiam justitiæ, et nisi aliud colligatur ex mente legislatoris, seu præcipientis. Sanchez lib. 1 in *Decalogum*, cap. 14, n. 5; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 51; Herincx, disp. 3; *De legibus*, n. 85. Salas, Bonacina, et alii apud Mastrium, *Theol. moral.* disp. 2, qu. 5, art. 170. Et ratio est, quia obligatio legis, seu præcepti pendet a mente legislatoris, seu præcipientis, ipsiusque voluntatem non excedit: ergo si legislator, seu præcipiens unico actu intendit, et permittit pluribus simul satisfieri legibus, seu præceptis, sequitur, unico actu pluribus legibus, seu præceptis satisfieri posse. (25. Hinc sequitur quod, qui obligatur ad recitandas Horas canonicas ratione ordinis sacri, simulque beneficii ecclesiastici, satisfacit unica recitatione. (26. Item, qui tenetur jejunare ex voto die Veneris, si tali die occurrant quatuor anni tempora, et vigilia alicujus sancti, unico jejunio satisfacit tribus obligationibus scilicet voto, et duobus Ecclesiae præceptis.

(27. Item, quando festum alicujus sancti incidit in Dominica, non tenetur quis audire duas missas, sed, unica audita missa, satisfacit duplici præcepto, scilicet et præcepto pro Dominica, et præcepto pro festo talis sancti. Et sic de similibus.

(28. Notanter autem fuit dictum in conclusione sub n. 19, extra tamen materiam justitiæ, quia si sint plures obligationes justitiæ, iis satisfieri non potest unico actu; Si enim Petrus debeat Paulo centum aureos ex contractu, et alios centum ex damnificatione injusta, non satisfacit utrique obliga-

tionem, semel dando Paulo centum, sed tenetur dare ducentos, quia in materia justitiæ commutativæ, seu in debitis justitiæ, attenditur æqualitas rei ad rem; non potest autem unum centum esse æquale debitis plurium centum; secus autem est in materia legali, seu in debitis legalibus, quia ibi attenditur mens, et intentio legislatoris, quæ sæpius ferri potest in unum idemque opus; ita doctores omnes citati.

(29. Notanter etiam fuit dictum in eadem conclusione, « nisi aliud colligatur ex mente legislatoris, seu præcipientis, » quia si circumstantiæ, seu verba legis denotent, legislatorum velle exigere actum non debitum, tenebitur subditus illum actum non debitum præstare, et non poterit satisfacere actu alias debito. (30. Hinc si confessarius injungat penitenti Rosarium pro penitentia, et talis penitens sit voto obstrictus ad Rosarium recitandum quotidie, penitens non satisfacit præcepto confessarii per recitationem Rosarii debitam ex voto, quia confessarius, nisi oppositum exprimat, vel aliunde colligi possit, censetur velle obligare penitentem ad rem non debitam. (31. Item si confessarius pro penitentia injungat auditionem missæ, nisi oppositum exprimat, vel aliunde colligi possit, censetur velle obligare penitentem ad aliam auditionem missæ ab ea, quam die festo audire tenetur. (32. Secus autem esset, si confessarius injungeret pro penitentia auditionem quotidianam missæ pro uno anno, et hujusmodi; quia ex benigna interpretatione censetur contentus esse missa debita ex præcepto diebus festivis, neque enim censendus est velle obligare ad audiendas duas missas diebus festivis, nisi id exprimat; cum enim sit grave onus, si id voluisset, expressisset, arg. cap. *Inter corporalia 2, De translation. episcop.*, § *Sed neque istud, cap. Quia circa 22, De privilegiis*, et cap. *Ad audientiam 12, De decimis*. Sic Castropalaus disp. 1, punct. 19, n. 1 et seq.; Kazenberger *Supplem. theolog. Decal.*, cap. 1, sect. 1, quæst. 4, n. 46; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 63, et alii supracitati.

(33. Nullatenus tamen potest unica numerice recitatione divini officii satisfieri duplici præcepto, v. g. pro die præsentis, et pro die crastino, quando hora licita anticipandi Matutinum, et Laudes recitatur hodie officium diei sequentis; adstricti enim ad Horas canonicas tenentur legere officia singulis diebus allixa; unde Alexander VII, die 18 Martii 1666, merito damnavit inter alias sequentem propositionem 35 in ordine: « Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsentis, et crastino. »

ARTICULUS V.

Lex quoad ejus cessationem.

SUMMARIUM.

1. Lex humana cessat, vel per cessationem ejus causæ finalis, vel per ejus abrogationem, vel per interpretationem, seu epicheiam, vel per dispensationem, vel per privilegium, vel per consuetudinem contrariam. — Lex cessat, omnisque ejus obligatio, quando cessat universim totalis ejus causa finalis.

— 3. Secus autem si cesset tantum finis partialis, seu partiale motivum legis. — 4. Item nec cessat obligatio legis, cessante causa, seu fine ipsius in particulari homine. — 5. Lex in præsumptione fundata cessat obligare, si de contraria veritate constet. — 6. Lex cessat per ejus abrogationem, cum a legislatore, seu a legitimo superiore in totum tollitur. — 7. Assignatur differentia inter abrogationem, derogationem et irrotationem legis. — 8. Legem abrogare potest legislator, qui eam tulit. — 9. Item legem abrogare potest legislatoris successor in officio, vel in jurisdictione superior. — 10. Inferior tamen nequit abrogare legem superioris. — 11. Nova lex, seu constitutio principis tollit priorem sibi directe contrariam, etiamsi de ipsa non faciat mentionem. — 12. Lex nova, seu constitutio principis generaliter lata non tollit, nec revocat rationabiles consuetudines, nec particularia statuta locorum, nisi id exprimat. — 13. Expressio autem talis abrogationis, seu derogationis sufficit, quod fiat per clausulas generales in lege appositas. — 14. Leges non sunt abrogandæ, seu immutandæ, nisi ex gravi et justa causa. — 15. Justa autem, et gravi interveniente causa pro varietate temporum, valide et licite possunt mutari leges, eas vel in totum abrogando, vel ipsis ex parte derogando. — 16. Sine justa et gravi causa possunt quidem abrogari leges valide, at non licite. — 17. Lex cessare potest per veram interpretationem et epicheiam. — 18. Interpretatio quid sit? — 19. Interpretatio est triplex, scilicet authentica, usualis, et doctrinalis, et quæ sit qualibet? — 20. Interpretatio doctrinalis subdividitur in declarativam, extensivam, et restrictivam, et quæ sit qualibet? — 21. Authentica legis interpretatio fieri potest a legislatore, ejusque successore, vel utriusque superiore. — 22. Non potest fieri ab inferiore, nisi ad hoc ipsum a superiore habeat potestatem. — 23. Usualis legis interpretatio fieri potest ab ipso usu communi, et consuetudine legitime introducta. — 24. Doctrinalis legis interpretatio fieri potest etiam a privatis doctoribus, si observent regulas communiter præscribi solitas. — 25. Prima regula assignatur: *Verba clara non admittunt interpretationem, neque voluntatis conjecturam.* — 26. Secunda regula: *Verba legis sunt intelligenda secundum propriam significationem, nisi aliud constet sensisse legislatorem.* — 27. Tertia regula: *Si de mente legislatoris constet, interpretatio est facienda potius secundum ipsam, quam secundum legis verba, quidquid aliud ipsa verba sonare videantur.* — 28. Mens legis, seu legislatoris unde desumi debeat? — 29. Quarta regula: *Lex generaliter, et distincte loquens, generaliter et distincte est intelligenda.* — 30. Quinta regula: *Exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis.* — 31. Sexta regula: *Ubi eadem est ratio, eadem est juris dispositio.* — 32. Septima regula: *In omnibus causis potior debet esse ratio æquitalis, quam stricti juris.* — 33. Ubi deficit æquitas scripta, servanda est æquitas non scripta. — 34. *Æquitas quid sit?* — 35. Octava regula: *Argumentum a sensu contrario est satis validum.* — 36. Nona regula: *Non censetur plus de priori lege mutatum, quam est expressum in posteriori.* — 37. Decima regula: *Lex penalis, et omnis alia odiosa, est stricte interpretanda, nec regulariter extendenda ultra casum, et personas expressas.* — 38. Undecima regula: *Leges favorabiles ampliori interpretatione sunt intelligendæ; seu in materia favorabili verba legis accipi debent secundum amplam suam significationem.* — 39. Duodecima regula: *In beneficiis plenissima est interpretatio facienda.* — 40. Excipienda tamen sunt rescripta ad beneficia ecclesiastica obtinenda quæ sunt strictæ interpretationis. — 41. *Epicheia quid sit?* — 42. In quo differat epicheia ab interpretatione legis. — 43. Datur locus epicheia in casu aliquo particulari ob certas circumstan-

tias concurrentes. — 44. Lex cessare potest per dispensationem factam ab habente legitimam dispensandi potestatem. — 45. Quoad ea, quæ speciatim concernunt dispensationem, *remissive*. — 46. Lex cessare potest per privilegium concessum ab habente legitimam potestatem ipsi concedendi. — 47. Privilegium quid sit? — 48. Privilegium est stricte interpretandum. — 49. Lex cessare potest per consuetudinem contrariam legitime introductam. — 50. Circa ea, quæ speciatim quoad hanc concernunt consuetudinem, *remissive*. — 51 et seq. Additiones ex aliena manu.

(1. Lex humana cessat, vel per cessationem ejus causæ finalis; vel per ejus abrogationem; vel per interpretationem, seu epicheiam; vel per dispensationem; vel per privilegium, vel per consuetudinem contrariam. *Communis*. (2. Lex igitur cessat per cessationem ejus causæ finalis; scilicet lex cessat, omnisque ejus obligatio, quando cessat universim totalis ejus causa finalis. Suarez, lib. vi *De legibus*, cap. 9, nu. 5; Silvester, verb. *Lex*, quæst. 9, § 8; Laymann, lib. 1, tract. 4, cap. 21, num. 3. et communis aliorum; argum. l. *Adigere* § 2, ff. *De jurepatr.*, ubi aperte habetur, quod cessante ratione et causa legis, vel obligationis, cessat lex, seu obligatio ipsa; et cap. *Cum cessante* 60, *De appellationib.*, ibi: «Cum cessante causa, cesset effectus.» Et ratio est, quia sicuti lex ab initio non subsistit, si sine ratione lata sit, cum ratio legis sit anima legis; l. *Cum ratio*, ff. *De bonis damnatorum*, ita etiam postea desinit, desinente ratione ejus, quandoquidem tunc ejus observatio inutilis atque supervacanea esse incipit. Unde hac ratione Apostolus ad *Hebræos* vii, ait: *Reprobatio fit precedentis mandati* (id est legis Mosaicæ) *propter infirmitatem ejus, et inutilitatem*. Sic in primitiva Ecclesia apostoli (*Actor*. xv) legem constituerunt, ut omnes abstinerent ab immolatis, sanguine et suffocatis, eo solo fine, ut Judæi ab iis abhorrentes tanto facilius in fide et religione cum gentilibus jungerentur. Quo fine successu temporis cessante, cessavit quoque illa lex talis abstinentiæ, ut docet S. Augustinus lib. xxxii *contra Faustum*, cap. 13; Nicolaus primus in *responsione ad Bulgaros*, cap. 90; S. Thom. 1-2, q. 103, art. 4 ad 3, ubi addit: «Procedente autem tempore, cessante causa, cessavit effectus,» scilicet obligatio illius legis apostolicæ. Et sic docent doctores communiter.

(3. Notanter autem dictum fuit, *quando cessat totalis ejus causa finalis*. Nam si cesset tantum finis partialis, seu partiale motivum legis, non ideo cessat ipsa lex, cum tunc perseveret adhuc alter finis, seu aliud legis motivum sufficiens ad conservandam ejus obligationem, ut recte observat Abbas, in cap. *Cum cessante* 60, *De appellat.*, num 2; Laymann, *loc. cit.*, nu. 3; La Croix, lib. ii, num. 86; Herinex, disp. 3, quæst. 16, n. 202; Paulus Mezger, disp. 36, n. 5; Mastrius, cit. quæst. 6, n. 209, et alii plures apud ipsos. Et ratio est, quia quando sunt plures fines, licet simul sumpti faciant unicum finem totalem, tamen deficiente uno, si alius maneat, manet quoque adhuc legis obliga-

tio; adeoque, si cesset tantum finis partialis, seu partiale motivum legis, non ideo cessat ipsa lex.

(4. Notanter etiam dictum fuit *quando cessat causa universim*; quia, cessante causa, seu fine legis in particulari homine, non ideo cessat obligatio ipsius legis. Et ratio est, quia finis legis humanæ non potest cessare quoad aliquem in particulari, si adhuc maneat quoad communitatem; finis enim legis in præsumptione periculi fundatæ, non est evitare quodcumque periculum in particulari, sed periculum in communi, et generaliter, adeoque quamvis cesset periculum in aliquo particulari, cum non cesset periculum in communi, et generaliter, non cessat obligatio legis. Si enim v. gr. princeps, lege lata, interdicit civibus usum armorum ad vitandas rixas, et homicidia, fas non erit alicui particulari arma prohibita gestare, quamvis in ipso ob senectutem, vel pacificam naturam, seu morum probitatem, vel simplicitatem cesset rixarum et homicidiorum periculum; quia interest boni publici, ut leges communes ab omnibus communiter observentur, quando non occurrit aliquid impedimentum contrarium, quod per epicheiam excuset; aliter orirentur multa incommoda in damnum reipublicæ, si tali, et similibus casibus tribueretur licentia agendi contra legem; nam quisque facile sibi posset blandiri, causam, et finem legis hic et nunc in se cessare. Et sic tenent D. Thom. 2-2, qu. 154, art. 2, in capit.; Suarez, lib. vi, *De legibus*, cap. 9, n. 6; Laym., *loc. cit.*, n. 3; Mastrius, *loc. cit.*, n. 210; Herinex, *loc. cit.*, n. 203; La Croix, *loc. cit.*, n. 314; Paulus Mezger, *loc. cit.*, n. 6; Kazenberger, *loc. cit.*, n. 314, ubi testatur de communi, Amicus, Aversa, Caspensis, Sotus, Salas, Reding., aliique plurimi contra Granad., Henriquez, Dianam, et alios.

(5. Lex in præsumptione fundata, cessat obligare, si de contraria veritate constet, quia, ex communiter recepto axiomate, Præsumptio cedit veritati; arg. cap. *Super hoc* 5, *De renuntiati.*, l. *Continuus* 137, ff. *De verborum signific.*, l. ultim. ff. *Quod metus causa*; l. *Imperatores*, ff. *De probation.*, ibi: «Respondit, veritati locum superiorem:» ex quibus aperte deducitur, quod mens legislatorum nunquam fuit per leges in præsumptione fundatas aliquid disponere contra veritatem; adeoque, veritate cognita, sive per propriam confessionem, sive per alias legitimas probationes, cessant tales leges obligare etiam in foro externo; et multo magis cessant obligare in foro interno, seu conscientiæ, ubi talis veritas est manifesta; quia ut Apostolus II ad *Corinth.* i, dicit: *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ*. Tum quia talibus præsumptione a parte rei falsa infestatis, non deficit, suum verum jus, sed solum probatio, arg. l. *Duo sunt*, ff. *De testamen. tutel.*, adeoque cum leges debeant esse justæ, c. *Erit autem lex* 2, dist. 4, cum similibus, nullimode potest dici mentem legum in præsumptione fundatarum fuisse jus suum alicui adimere, etiam cognita ve-

ritate, cum jus suum unicuique tribuere, pertineat ad tria juris præcepta § *Juris, Instit. de just. et jur.*, his verbis expressa: «Juris præcepta hæc sunt, honeste vivere, alterum non lædere, jus suum cuique tribuere.» Et sic tenent Abbas in capit. *Quia plerique*, n. 18, *De immunit. Eccles.*; Covarr. in cap. *Cum esset*, n. 9 *De testam.*; Navarr. in cap. *Ita quorumdam*, *De Judæis*, notab. 10, n. 29; Laymann, lib. 1, tract. 4, cap. 21, n. 4, et alii passim.

(6. Lex cessat per ejus abrogationem, cum a legislatore, seu legitimo superiore in totum tollitur. *Communis*. Hic tamen advertendum venit, quod datur differentia inter abrogationem, derogationem, et irritationem legis. Abrogatio enim legis fit, cum lex in totum tollitur; derogatio vero cum lex tollitur solum ex parte; textu expresso in l. *Derogatur* 102, *De verb. signific.*, ibi: «Derogatur legi, cum pars detrahatur; abrogatur legi, cum prorsus tollitur.» (7. Irritatio autem legis fit, cum lex ab inferiori instituta, auctoritate superioris irritatur, seu rescinditur, et nullius valoris efficitur, ut si lex ab episcopo lata, a Summo Pontifice annulletur, irrita, et inanis ac nullius roboris declaretur. *Communis*.

(8. Legem abrogare potest legislator, qui eam tulit. arg. cap. *Omnis res* 1, *De reg. juris*, ubi expresse dicitur, quod «Omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur.» (9. Item legem abrogare potest legislatoris successor, vel in officio, vel in jurisdictione superior; quia voluntas successoris æquivaleret in jurisdictione voluntati antecessoris; et voluntas superioris etiam prævalet, adeoque quod in jurisdictione licuit antecessori, etiam licebit successori, vel utriusque superiori. *Communis*, argument. capit. *Innotuit* 20, *De election.*, § *Quamvis*, capit. *Exiit* 3, *De verb. signific.*, in 6. § *Ceterum sanctæ memoriæ*, cum similibus. (10. Inferior tamen nequit abrogare legem superioris, cum voluntas inferioris nullum habeat jus, seu nullam potestatem supra voluntatem superioris; cap. *Inferior* 4, dist. 21. c. *Cum inferior*, 16, *De majorit. et obed.*; Clement. *Ne Romani*, *De elect.*

(11. Nova lex, seu constitutio principis tollit priorem sibi directe contrariam, etiamsi de ipsa non faciat mentionem. *Communis*, textu expresso, in c. *Licet* 1, *De constit.*, in 6, ibi: «Licet Romanus Pontifex (qui jura omnia in serinio pectoris sui censetur habere) constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscatur,» etc.: et concordat jus civile; l. *Sed et posteriores*, ff. *De legibus*, ibi: «Sed et posteriores leges ad priores pertinent, nisi contrariæ sint.» Hinc pariter in testamentis statuitur ultimo, etiamsi in ipso non fiat mentio de priori, l. *Si mihi et tibi*, ff. *De legatis* 1, et cap. *Ultima voluntas* 4, caus. 13, q. 2, ubi dicitur «quod ultima voluntas defuncti modis omnibus servari debet.»

(12. Lex nova, seu constitutio principis generaliter lata, non tollit, nec revocat ra-

tionabiles consuetudines, et particularia statuta locorum, nisi id exprimat. *Communis*, textu expresso in cit. c. *Licet* 1, *De constit.*, in 6, ubi post verba n. antecedenti allegata, statim subjungitur: «Quia tamen locorum specialium, et personarum singularium consuetudines, et statuta (cum sint facti, et in facto consistant) potest Romanus Pontifex probabiliter ignorare; ipsis dum tamen sint rationabilia, per constitutionem a se noviter editam (nisi expresse caveatur in ipsa), non intelligitur in aliquo derogare.» (13. Expressio autem talis abrogationis, seu derogationis sufficit, quod fiat per clausulas generales in lege appositas v. g. «Nulla obstante consuetudine contraria, vel non obstantibus quibuscumque statutis particularium locorum, seu non obstantibus quibuscumque statutis, vel consuetudinibus etiam immemorialibus,» et hujusmodi. Gailus lib. 1, *Pract.*, observ. xviii, n. 2; Laym., cap. 1, n. 12, *De const.*, in 6; Reiffenst., l. 1 *Deer.*, tit. 2, n. 499, et alii passim.

(14. Leges non sunt abrogandæ, seu immutandæ, nisi ex gravi, et justa causa; l. iii, ff. *De const. princip.* «In rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum visum est»: quia (ut expresse dicit Benedictus XI Summus Pontifex in extravag. *Inter cunctas* 1, *De privil.*, § *Sane*) «plerumque pariunt novitates discordiam, præsertim dum ab eo, quod diu æquum visum est» per novam constitutionem receditur, nec quare recedatur, utilitas evidens, vel alia causa subest. Ita communis doctorum.

(15. Justa autem, et gravi interveniente causa, pro varietate temporum, et circumstantiarum, valide et licite possunt mutari leges, eas vel in totum abrogando, vel ipsis ex parte derogando. *Communis*, textu expresso in c. *Non debet* 8, *De consang. et affinit.*, ibi: «Non debet reprehensibile judicari, si, secundum varietatem temporum, statuta quandoque mutantur humana, præsertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit, quoniam ipse Deus ex his, quæ in Veteri Testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo.» Item in cap. *Alma Mater* 24, *De senten. excomm.*, in 6, ibi: «Alma mater Ecclesia plerumque nonnulla rationabiliter ordinat et consulit, quæ suadente subjectorum utilitate, postmodum consultius, et rationabilius revocat, in meliusve commutat.»

(16. Sine justa vero, et gravi causa possunt quidem abrogari leges valide, at non licite. *Communis*. Et quidem quod possint abrogari valide, stat clarum, quia cum obligatio legum dependeat a voluntate legislatoris in fieri et conservari, tanquam a causa adæquata, sublata hac voluntate, peribit obligatio legum, et consequenter earum abrogatio erit valida; arg. cap. *Omnis res* 1, *De reg. juris*, ibi: «Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur.» Quod autem nequeant abrogari licite, clare patet, quia legislator, seu ejus successor,